

482 Hexham, rep. a. 1726, upon a covering stone inserted in the crypt of Hexham church, in the head way of one of its passages. Tabula magna litteris bonis.

IMP · CAES · L · SEP^t · severus
 PER^tNAX · ET · IMP · Caes. m.
 AVR · ANTONINVS p. f. aug
 VS !!!!!!!!!!!!!
 5 / !!!!!!! HORTE
 VEXILLATION
 FECERVNT SVI

Gordon itin. sept p. 185 (cf. p. 48) cui descripsit R. Gale; Stukeley it. bor. p. 62 qui memorat tantum; Horsley p. 249 *Northumb.* 109 (inde Warburton vallum p. 156, 109; Goughs Camden 3 p. 508 tab. 34 fig. 9; A. B. Wright *Hexham* p. 121); Hodgson 2, 3 p. 231 s. q. v. a. 1811; Bruce *wall* p. 345; *Durham and Northumberland architect. and archaeol. soc.* 1, 1862 p. 21.

3 ANTONINVS M Gord. 4 V:::II... Gord., VSII Horsl. Nomina Getae distingui posse indicat Brucii exemplum ligno incisum. 5 COHOR Gord., HORT Horsl., HERR Hodgs., qui de *horreo* cogitavit. 7 GER.....RVM...V Gord. Vi[as] in fine supplevit Bruce contra exemplum suum.

Imp(erator) Caes(ar) L. Sep[t(imi)us Severus] Pertinax et imp(erator) C[aes(ar) M.] Aur(elius) Antoninu[s p(ius) f(elix) Aug]us[ti et P. Sept(imi)us Geta Caes(ar) per co] horte[m..... et vexil-lation[es leg(ionis).....] fecerunt su[b..... leg. Aug.....

483 Hexham, in crypta, over the door head, that leads from the passage into the vault.

IP C
 IP C
 P · AE
 IVSX
 I

Horsley p. 249 *Northumb.* 110 (inde Warburton vallum p. 157, 110; Goughs Camden 3 p. 508 tab. 34 fig. 10); Bruce in schedis.

Apparet indicari imp(eratores) C[aesares] duos, puto Severum et Caracallam.

484 Rep. nuper in Hexham et servata apud Ios. Fairless ibi. Alta dig. 7, lata 10.

INSTANE
 FL · HYGIN
 LEG · VI · V

I. Fairless *gent. mag.* 16, 1841 p. 302 male; Bruce *wall* p. 345 quem sequor. Pertinuit ad dedicationem aliquam in alio lapide incisam.

instante Fl(avio) Hygin(o) leg(ionis) VI v(icticis)

485 Hexham, rep. et servata una cum praecedente. Fragmentum latum ped. 1 dig. 7, altum ped. 1.

M GNI CIVI
 RAVTHVS · ET
 ARFAIAVGV
 T · TSCV

Bruce *wall* p. 345.

... Ma]gni civi ... rauthus ..

VALLVM HADRIANI

(the Picts Wall)

Capp. XLI—LVIII.

Agricola postquam primo legationis suae Britannicae anno (qui fuit p. C. 78) Ordovices magna clade affecit Monamque insulam in deditioem accepit (Tacitus Agric. c. 18), altera aestate, ut Taciti ipsius verbis utar (c. 20), *contracto exercitu multus in agmine, laudare modestiam, disiectos coercere; loca castris ipse capere, aestuaria ac silvas ipse praetemptare; et nihil interim apud hostes quietum pati, quo minus subitis excursibus popularetur; atque ubi satis terruerat, parcendo rursus invitamenta pacis ostentare. Quibus rebus multae civitates, quae in illum diem ex aequo egerant, datis obsidibus iram posuere, et praesidiis castellisque circumdatae tanta ratione curaque, ut nulla ante Britanniae nova pars [pariter] illacessita transierit.* Ex hisce Taciti verbis, quae quomodo emendanda sint in fine hic non curo, scilicet quod multae in ea Britanniae regione civitates antea liberae (id enim est quod ait ex aequo eas egisse) praesidiis castellisque circumdatae sint, Horsleius deducebat (p. 98 s.) Agricolam conditorem habendum esse stationum, quae fuerunt per lineam valli eius, quod postea inter utramque oram maritimam per insulam ductum est. Putabat enim ut imperator Pius vallum suum postea duxisset in angusto terrarum spatio inter Clotam et Bodotriam aestuaria sito, quod Agricola antea iam praesidiis firmasset (Agric. c. 23), ita similiter etiam Hadrianum in vallo antiquiore muniendo usum esse castellis antea iam in tractu illo conditis, quae ab alio nullo condita esse probabiliter statui posse existimabat quam ab Agricola, viarum etiam, ut credebat, per totam insulam conditore. Secuti sunt eius opinionem antiquarii Britanni, nisi fallor, omnes; inprimis Hodgson (2, 3 p. 157. 167), scriptor alioquin accuratus et iudicii sani, ut infra apparebit. De viis dicemus suo loco; ut castella autem illa prius quam vallum condita esse concedam, quanquam id quoque ut testimoniis firmari potest nullis, ita etiam probabilitate carere puto, Agricolam certe in regionibus istis ne castella quidem condidisse ex Taciti narratione universa mihi videtur manifestum esse. Diserte enim a

scriptore tertium demum legationis eius annum novas gentes aperuisse traditur (c. 22): unde certum est ea quae antea narrata sunt referenda esse ad Silures Ordovices Brigantes ceterasque gentes et civitates iam notas. Quanquam enim fieri potest, ut Brigantum sedes extensae fuerint usque ad confinia Caledoniae, tamen eorum, qui ante Agricolam Britanniae provinciae praeerant, neminem arma Romana ultra Eburacum protulisse, si quis totius provinciae historiam monumentaque dominationis Romanae in ea reperta diligenter consideraverit, mihi concedet. Deinde vero etiam quicumque Taciti Agricolam attente legere et recte aestimare consueverunt non dubitabunt, nisi fallor, quin ea, quae loco illo supra scripto proferuntur, eo ex relationum genere esse putanda sint, quo scriptor uti solet, cum vitae soceri sui tempora, quibus res memorabiles gestae sint aut nullae aut paucae, enuntiatis artificiose elaboratis atque invicem sibi oppositis describit. Cohortes sane Batavorum et Tungrorum, quas in pugna ad montem Graupium Agricolam secum habuisse constat (Agric. c. 36), postea in stationibus valli Procolitia (c. XLVII) et Borcovicio (c. XLVIII) tendentes reperimus; sed nequaquam inde consequi, quod antiquarii Britanni inde concluderunt, scilicet Agricolam ipsum eas eo deduxisse, vix est quod addam. Denique nullum unquam ad vallum repertum esse titulum, qui aliqua cum probabilitate, ne dicam certo, referri possit ad tempus, quod ante Hadrianum fuit, infra videbimus.

Itaque antiquissimum quod habemus de vallo testimonium id est, quod apud Spartianum legitur in vita Hadriani (c. 11): *ergo ... Britanniam (sic) petit (quod fecisse putandus est a. p. C. 120/1), in qua multa correxit murumque per octoginta milia passuum primus duxit, qui barbaros Romanosque divideret.* Expeditionis illius Hadriani Britannicae idem scriptor antea iam mentionem fecerat, ubi Hadrianum postquam imperium adeptus esset tenendae per orbem paci operam dedisse rettulit, cum diceret (c. 5): *Britanni teneri sub Romana ditione non poterant.* Cum hisce testimoniis